reliquerunt. Unde factum est vt post obi-
tum dñi Alfrici germani sanctissimi Frede-
rici martiris ⁊ luydgeri cho⁊ fugatis de ri-
pa populis :pagus ⁊ vrbs staret destructa
desolata ⁊ deserta donec pium Baldericuz
illis locis pontificem diuina p̄fecit clemen
tia. sub cuius tempore antiquis non simili-
a q̄uis bona surrexerunt menia. Uerum
sanctus martir Fredericus multis miracu-
lorum semper fulsit virtutibus sicut facit ⁊
actenus. ⁊ est medicamentuz ⁊ medicus
omnibus cum pie inuocantibus prestante
dño nostro ihesu xp̄o qui cum patre ⁊ spiri
tu sancto viuit ⁊ regnat per infinita secula
Amen.

## De sancta Noythburge virgine.

Series aūt gene
ris nobilitatisq3 scē Noytburgis
virginis hoc ordine declaratur. Fuit autez
vir nobilitate preclarus. bellicositate stren
nuus. ac fama valde gloriosus Pipin⁹ no
mine filius angisi qui in diuersis cronicis
siue legēdis istis dignitatib⁹ extollit̄. Qui
dam enī asserunt eū fuisse maiorē dom⁹ re-
gie. quidā ducem. quidā regem nuncupa-
uerunt quas p̄culdubio dignitates sucessi
ue p̄secutus ē. Hic nāq3 nobilis nobilem
⁊ prudentissimā duxit vxorez noīe Plectru
dim ex qua duos filios genuit. Drogonē
ducem campanie. ⁊ Grimoaldū qui succe-
dente quidē tp̄e maior domus siue palacij
super francos electus est. Qui quidē prin-
cipes modo comites palatini nuncupant̄
Hec gloriosa regina post generatiōez p̄dic
to⁊ suo⁊ libero⁊ in magna humilitate ⁊ ple
naria castitate cū alijs multis virtutū ope-
ribus vitam suā adusq3 senilem etatē p̄du
xit. Cum rex predictus ipsi gloriose domi
ne aliā quandā Adelheydā alio nomine Al
paydam superduxerit. Ipsa q3 cum infini-
tis thesauris Coloniā veniens ⁊ ibidē mo
nasteriū quod puellarum d̄r in honore glo
riosissime virginis marie cōstruxit. qd̄ di-
tissime dotauit predijs ⁊ possessionibus. ⁊
ibidem cum filia sororis sue Noythburge
laudabilem vitam dño persoluebat. San
cta igitur Noythburgis purissime educat̄
ac sanctissimā conuersatiōem a gloriosa su
a matertera didicit qd̄ ex p̄sequentib⁹ d̄clara
tur. Nam consanguinei sui nuptijs eaz ap-
tare disposuerunt. ipamq3 cuidam nobili
desponsare p̄miserunt pretendentes forte
magnum regno ex hoc p̄modum p̄uentu⁊
Causa autē huius desponsatiōis coniectu-
raliter p̄siderat̄ ex hoc q̄ in libello regie nr̄e
Plectrudis legitur q̄ ambo filij ipsius an
te mortem patris sui Pipini mortui sunt
Quia senior drago videlicet dux campa-
nie valida febre correptus moritur. ⁊ alter
sc3 Grimoaldus qui fuit mitissimus ⁊ mā
suetudine repletus largus in elemosinis ⁊
promptus in orationibus. postq3 pater su⁹
Pipinus in Joppilla villa super mosaz si-
ta egrotare cepisset ad se visitandum filiuz
Grimoaldum inuitauit. Qui aduenicns
ciuitatem Leodium basilicam sancti Lam
berti martiris intrauit ⁊ ibidem ante ei⁹ cor
pus sanctum in oratione se p̄strauit. Cūq3
orationem ex deuotione ⁊ desiderio protē
disset a crudelissimo ⁊ impio viro Ranga
rio in ipsa oratione interiectus est. Et sic
Pipinus postmodum moritur Et nullum
superstitem filium preter Karolum ex Al-
payda reliquit Unde forsitan amici hoc in
uicem pretendētes regnū ad manus alieni
deuoluere timebant. neptim regie nuptijs
applicare nitebantūr. Cum autem rumor
nuptiarum ad aures gloriose virginis per
uenisset viribus corporis destituitur. Mē
te consternata quid agere valeat vel quo se
diuertere debeat altis suspirijs anxiat̄. Fu
gere non potuit quia a regina intime dili-
gebatur ⁊ eo amplius custodiebatur. Et
ideo secretum locum meroris sibi adapta
uit. vt ibi securius ⁊ vberius sponso suo cri
sto cui se desponsauerat angustias sui cor-
dis querularet. Quia thorum cuiuscunq3
viri mortalis mire despexit. Mente itaq3
pura Et cum ardente immaculati cordis

TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
http://tudigit.ulb.tu-darmstadt.de/show/inc-iv-146/0562
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt
gefördert durch die DFG